

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Quiquebeuf, Claude - candidat / Duval,  
Guillaume - président. - An aqua vino  
salubrior.**

**1622.**

***Paris***

***Cote : ms 2322 n°13***



51 52

13

# QVÆSTIO MEDICA;

## CARDINALITIIS DISPV TATIONIBVS

MANE AGITANDA IN SCHOLIS  
Medicorum, Die Louis XIII. Aprilis,

### M. GVILLELMO DV VAL, DOCTORE MEDICO, ET R. P. moderatore prudentissime?

*An aqua vino salubrior.*



IVIMVS aëre, cibo, pôtu. At viuere non est,  
sed valere vita. Ideo orandum est, ut sit mens sana in  
corpo sano. Hic apex humanæ felicitatis, in  
quam amicâ facilique manu nos subuehit hygi-  
cine, princeps pars Medicinæ: omnia sana sanis,  
sed alia aliis, & alias salubriora: vt viuamus fa-  
ciunt aër, esculenta, potulenta, quia substantiae  
nostræ spirituosa, solidæ, humidæ (quæ in dies deteritur, & ef-  
fluit) perpetua sunt subsidia: at illa eadem cum delectu usurpata,  
inter ea censemur, vitam quæ faciunt beatorem. Sic ab aëre puro, in-  
nubi, libero, <sup>mane</sup>, <sup>euzeia</sup>, sensuum acumen, ingenij bonitas,  
prudentia: ab impuro & crassiore, contraria. Gaudet frigidiori  
aëre biliosus, cui ideo hyems benefica, vt iuueni: calidiore pitui-  
tosus, cui æstas est solatium, vt seni. Esculenta <sup>unqata</sup>, <sup>euzeia</sup>,  
<sup>umera</sup> cuius prosum, sed naturis calidis frigidiuscula magis: vt  
frigidis calidiora: sicuti & gracilibus copiosiora, & obesis tenuio-  
ra. Potulentorum, vt ingens est necessitas: sic & salubritas maxi-  
ma, voluptasque maior, quam esculentorum, præsertim si frigida  
& humida hauriantur: quia sitis, appetitio frigi & humili fame

\*

0 1 2 3 4 5 (cm)

<sup>2</sup> est vehementior: ideo & in modo, & in genere potus magna cau-  
tione opus est, quo in negotio consultius faciunt hydropotæ.

**E**NIMVERO apud eum vnde. Atque ut potuum diuersa sunt ge-  
nera, aliisque alijs salubriora: sic omnium optimum credere  
par est illud quod vniuersim regi animalium restinguendæ animalium  
siti, communis omnium mater, prouidaque nutrix natura præpa-  
rauit. Quippe suos etiam ars conficit paratque potas; siue expre-  
sione succorum è fructibus & racemis, vnde pomaceum, pyraceutum,  
vinum, quorum tot species, quot fructuum, siue coctione florum,  
radicum, fructuum, seminum ex aqua vel vino: siue etiam mix-  
tione sacchari, mellis, cinnamomi, aceti, &c. Vnde hydrofac-  
char, oxycratum siue posca, hydromel, zythum, cereuisia, bou-  
chetum, hordeatum, amygdalatum, oinomel, vinum hypocrati-  
cum, Meteglin Anglorum, Celia siue ceria Hispanorum, Tzerbet  
dilutum Turcarum, & Ptisanæ generis omnis: quarum potionum  
hic ordo est ad sanitatem, vt quæ vinosæ sunt magis, minus sint  
salubres, quæ aqueæ, salubriores. Vnde cum potio omnis, siue  
artificialis & composita, aqua dici possit aut vinosa; idcirco po-  
tandi imperium facile partiuntur aqua & vinum.

**V**INUM generatim triplex. Cereale, quod Cereris frugibus  
constat, hordeo, frumento, zea, auenâ, vt Curni Dioscoridis,  
ala Britannorum è malti decocto parata: fructuarium quod  
Pomonæ donis, succisue pomorum & pyrorum: vitis, quod est  
Bacchi nectar, & propriè ἡ κατ' εξοχήν vinum vocatur, ex vuis ma-  
taris expressum. Atqui cereale, præterquam quod subamarum est  
ac insuaue, mesenterij vias meatusque suo lentore & crassitie sæ-  
pius impedit, stipat, obstruit, calefacit, vrinæ ardorem affert, ten-  
tat renes & neruos, cerebri meningas laedit, capitis dolorem ac-  
cerdit, inflationes, tormina, imò & elephantiasim: fructuarium ve-  
rò excrementitiâ humiditate redundans, & longiore vsu nimium  
refrigerans, hepati & intestinis est inimicum, cumulat cacoely-  
miam, scabie cutim fœdat, sensum minuit, & tactum maximè de-  
prauat, ac demum alba vitilagine, ἡ εὐηνή vocant albamie lepram,  
corpus deturpat & inficit. Vinum denique, vitis, sanguis terræ,  
peccatum insidiator, ἡ πεπλασμὸν est, tentat primò caput, deinde pe-  
des, pueros interficit, adolescentiam veri analogam corrumptit,  
omnique ætati infestum est, calore exceedens & humiditate: vide

3

calidi & frigidi morbi, febres, phrenitides, pleuritides, ophthalmicæ, paralysis, stupor, apoplexia, furores, arthritides, tremores, agoræ, quibus ex ebrietate contractis succedunt lethales convulsiones.

53

**A**qua suave elementum, omniumque pulcherrimum & maximè necessarium, magni ad vitam & generationes momenti, ut potionum communissima, sic & saluberrima est; siue ea simplex, siue alterata herbis & igne assumatur: sed eligenda frigida, humida, pura, illimis, pellucida, leuis, tenuis, non falsa, non acris, non arida, non etiam dulcis ut lac aut mel, aut quid simile: sed potius insipida, inodora, linguæ tamen & palato grata, nec inuicunda naribus & oculis, *anemos*, *evanescitos*, *evanodos*, quæ facile calcat, facile frigeat, facile distribuatur, venasque permeat, qualis est quæ vel è viuo fonte manat desilitque, quæ è sublimioribus locis erumpentem salutet Sol matutinus: vel quæ è vernis, hybernisque nubibus minimè impuris nec procellosis depluit, & cisternis laudabili fabulo instratis, sine plumbo custoditur: vel quæ fluminum minimè sordidorum apricis liberoribusque alveis deuenitur. Hæ enim aquæ sitim animantium & hominum cuiusvis ætatis, sexus, gentis & regionis non modo suauiter, sed & sanguinis vino facile effervescentis, esum & ardorem componunt ac temperant, libidinem, maniam, iracundiam, flaus, atrisque biles, quas accendit vinum, potenter arcent, altum soluunt, fumos reptimunt, capiti blandiuntur, somnum conciliant, catarrhos, vini sobolem, prohibent, viuidum colorem, suauem oris anhelitum præstant, denique sensus ( quorum vinum aciem obtundit, & mentem ipsam quam vinum emouet ) acuunt, climantque. Hinc hydropotæ & abstemij acutiùs vident, maturius iudicant, musis, quibus olei etiam plus quam vini placet, chariores sunt, & consilijs rebusque gerendis aptiores.

**V**INO tamen sua etiam qualiscumque inest salubritas, vt & aquis suæ noxæ, si crudiores sint, si puteales, stagnantes, lacustres, glaciales, niuales, ab his enim colici cruciatus, morbi articulares, bronchocele: scilicet insalubres aquas vinum emendat; viris robustioribus, & qui continuè exercentur, utile est, frigidiores excitat naturas, digerit cruda, fatus discutit, iuuat coctionem, promouet *aydov*, famem soluit, & dolores oculorum: sed

caue, pauci ita robusti sunt, vt vino sint pares, neendum fortiores, hinc citius intereunt senes nimio meri potu, quam iuuenes: sed & ferè omnes viscerum calore, ac feruidiori sanguinæ peccamus, capite infirmo sumus, & catarrhis calculisque, Parisijs maximè degentes, obnoxij: & sæculum hoc ferax est biliosorum, hypochondriacorum, & melancholicorum ab vstione, morbi etiam acuti & periculosiores penè omnes ignei sunt, febres ardentes, peripneumoniae, pleuritides, phrenitides, his autem vt & cardialgia & syncopæ exhibere vinum nefas, quod ne sanis quidem conferat, nisi extinctum aquâ: cùm interim & calidioribus naturis temperandis, & morbis illis præcauendis sanandisque etiam ardentium febrium initijs, aqua aqueave potio salutaris.

*Ergo aqua vino salubrior.*

---

Propugnabat Lutetiæ CLAVDIVS QUIQUEBEVF,  
Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXII.

*cette ther. est le 632<sup>e</sup> Je veux  
in folio tome IV des Chans de la Gaule.*

